

1568  
23.  
THESIUM  
MEDICO-PRACTICARUM  
TRIGA,

*Annunte Divina Gratia,*

Authoritate Inclyti Collegii Medici

in Illustri Eberhardina,

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, ET EXPERIEN-  
TISSIMO, DOMINO,*

**ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,**

Philos. & Med. D. Prax. P. P. Ordin.

Consil. & Archiatro Württembergico, Fac.

Med. Seniore & h. t. Decano,

*Dn. Præceptore, Promotore, & Fautore suo Filiali*

*honore & amore atatem Venerando,*

Pro Licentia

SUMMOS IN MEDICINA HONORES, JURA AC  
PRIVILEGIA DOCTORALIA legitime capessendi,

*Solenni ac publica submissa  
ventilationi*

à

**GEORGIO FRIDERICO Metzger/**

TUBINGENSI,

Die Novembr.

*Hor. & Loco consuetis*

Tubingæ

MD CXCIII.

---

*Typis Viduae Martini Rommesj.*

Pathol. gen.

420,10

*App. part. 22*

# VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimis,*

**DN. ELIÆ RUDOLPHO**

**CAMERARIO, Philos. & Med. D.**  
hujusque Prof. Publ. Famigeratissimo,  
Consil. & Archiatro Würtemb. Felicissi-  
mo, Facult. Med. Seniori & p. t. Decano  
Spectatissimo, Disput. hujus Præsidi Gra-  
vissimo.

**DN. ROSINO LENTILIO,**

Med. D. longè Celeberrimo, Archiatro  
Oetingensi Felicissimo, S. R. I. Lib. Civit.  
Nördling. Physico Primario Meritissimo,  
Academiæ Leopoldinæ Imperialis Natur.  
Cur. Oribasio.

*DOMINIS Patronis, Præceptori, Affinè  
atatem colendisissimis,*

Theses has Inaugurales

In observantiæ debitæ symbolum,  
suique ulteriorem commendationem

*Obsequiosissimè*

*Offert & dedicat*

Georgius Fridericus Meinger.



I.

**FRIGIDÆ HAUSTUS** ein gethaner Trunc

*tam frequens morborum causa non est, quam vulgò accusatur.*



*Eatus ac Desideratissimus meus Parens Flux. & Reflux. sanguin. Exerc. 3. th. 10. ponit sq. Sanguis inoffenso per pulmones pede dum appellit, singulis in alimentum partibus per aortam jam distribuendus, ob arteria cum Oesophago nexu cum lipothymia nec non inopinata suffocationis metu in primo saepe limine, à potu frigida largiori, post vehementes præprimis corporis motus q̄s. coagulatur, sistitur, cui malo bellidis folia in acetario parata Mindereri in med. milit. aliorumque commendatione presentissimo auxilio sunt, vi suâ quâ possent innata coagulatum resolvendi sanguinem. Sed quomodo ex. 5. aph. 24. frigida sanguinis cient profluvia? R. Highmorus in anaceph. constrictam subitâ refrigeratione aortam sanguinem copiosè admodum ad superiora propellere vasa, quæ cum nimia obruta copia distendantur, apertio & sanguinis spuitio sequuntur, Venâ præsertim cavâ eadem de causa coangustata liberumque sanguini regressum denegante. Fortè etiam per ἀντιπερισσειῶν auctâ in sanguine ebullitio locum hîc habet; unde illo à motu concitato, dum frigore constringuntur vasa, majus impendet periculum. Scilicet à largiori tali frigida haustu contingunt mortes subitanæ, sic Amatus Lusitanus cent. 2. curat. 62. juvenis Romani subitum exponit obitum, qui defatigatus à ludo pilæ, sudoreque respersus ad puteum properans ab exhaustâ frigida mortuus in terram decidit. Ubi aliud subjungit exemplum de alio similiter post sudorem ex frigido potu emortuo. Contingunt morbi lenti, quod innuit iste aphorismus allegatus, qui sonat: Τὰ ψυχρὰ, οἷον χιῶν, κρύσταλλοι, τῶ σίθει πολεμια, βηχέων*

*Βυχέων κινητικὰ, αἰμορροϊκὰ, κατάρροϊκά.* Varias varii Commentatores subjungunt causas. Hippocratis sedulus Interpres, *B. mei Parentis quondam Collega p. m.* in Jatro Hippocratico, *αἰμορροϊκὰ* frigi da dicit, quia extremè & summè frigida, ut nix & glacies, majorem noxam afferant, venas frigiditate indurando, & contumaciores reddendo, unde fiat, ut distenta sanguine vasa, cum cedere non possint rumpantur. *Βυχέων κινητικὰ* dicit, quia destillatione asperitatē inducant viæ spiritus, ubi *Catulli* à frigore frequenti tussi quassati exemplum subjungit, tandem p. 1012 hæc habet: *Pulmonum magnes dum aërem trahit frigidiorē, quàm ut eum debitè alterare & evincere possit, naturale statim robur amittit, nam alimenta ad eos transmissa plurimum excrementorum pariunt sive relinquunt in iis, quæ ob debilitatum in pulmonibus vitæ spiritum sive Archæum, dum non rejiciuntur, obstructio atque inde putredo, & ex hæc humorum alteratio, imò inflammatio & febris pertimescenda, aut si non debilitatur initio Archæus, sed irritatur, in sui tutelam undique convocat laticem tanquam repagulum obijciendum pro incolumitate sui, atque ad avertendum aëris irruentis impetum, quo ipso accidunt facile memorata Hippocrati.* Mihi *Beati Parentis* arrident rationes, quibus addo subitam mutationem; subitam extremè adversi ac inimici applicationem; glandularum quæ sero secernendo & effundendo naturaliter dicatæ sunt cum suis ductulis, nimiam relaxationem, nimiam apertionem, hinc largior seri exudatio, extillatio, effluxus ex ipsis p. n. patulis; seri fusionem aut præcipitationem, nam frigida particulis suis rigidis apta sunt fundere, irritare, unde catarrhi, qui nihil aliud, quàm ex glandulis majori copia protrusum serum hinc ibi subsistens, dicunt. Imò quid vetat dicere, stricturam Venarum hinc agere id, quod ligatura in vivo animali venarum jugularium, quod injectiones in partes per siphones ligatis venis monstrant. Audies quotidie, è plebe homines petere consilium Medicum proponentes, sic hätten einen Truncck gethan: Medicastra quædam satis nota plerosque è Viris à potu quodam largiori frigida, Fœminas verò ob matricem vel repentem, vel irrequietam ægrotare, cum consulitur, pronunciat. At profectò toties, quoties accusatur talis potus morbi causa non est. Sæpius implorat Medici opem æger, qui penitè de hac causa persuasus conqueritur de cardialgia, lassitudine, tabe vultum ostendens luridum: alius tussiculofus, dyspnoicus, macilentus eandem inculat causam: alius coli-

coli-

colicam spasmodicam, alius lentam à diuturna intermittente febrem, alius cordis palpitationem, alius hypochondriorum tensionem, alius alium affectum perpetuens, haustui frigidae largiori illum adscribit & Medico consilium daturò causam talem dictatoriè detegit. Et quidem tales non rarò, ut ipsis videtur, locum & tempus ingurgitati potus determinant. Si autem vita prægressa ritè examinetur, in circumstantias medicè inquiratur, patefcet, non unum, sed plures haustus causam dedisse istis molestiis, non una vice, sed creberimè repetitis, non aquæ sed vini haustibus illos istas contraxisse, aut ad minimum, si hoc non, alium rerum p. n. minùs debitum usum, præsertim cibi & potus quantitatem, qualitatem, assumendi modum, animi passiones excedentes causam suppeditasse. *Medicus* igitur *Prudens* non statim tali consentit opinioni, sed singula priùs probè examinat, usque dum largiorem frigidae haustum, quod aliquando contingere ambabus largimur, lenti hujus vel illius morbi causam judicet. Ex allegato autem aphorismo judicare licet, an *Medicè vivant*, qui potum non solùm glacie circumscita refrigerant, sed & cum ipso glaciem assumunt, imò devorant.

II.

*APHTHÆ INTERNÆ frequentiores,  
quàm vulgò putatur.*

*Aphthæ*, Ulcera etiam Syriaca & Ægyptiaca, Arabibus Alcolæ dictæ, modò ad inflammationis, modò ad excoriationis, levis exulcerationis, modò ad pustularum cum escharis Ideam magis accedentes, in ore, lingua, labiis, gingivis, palato, faucibus, partibus sublingualibus & vicinis, Infantibus communes ubivis ab *Authoribus* describuntur, qui prolixè exponunt Ipsarum indolem, causas, & curandi modum. At de *Internis* adultos etiam cum vario dolore invadentibus *Aphthis* pauca reperies; Nos verò has tam frequentes, quàm istas infantum visibiles, imò & infantibus frequentes internas censemus. Non quidem nos latet, *Hippocratem* aphthas fistulae pulmonis, & pudendorum adducere, *Galenum* testes aphthis exulceratos memorare, aliisque corporis partibus has etiam tribui à *Fa-*

*sio, & Eustachio.* In ventriculo, intestinis & aspera arteria etiam da-  
 ri *Quidam* monent, sed binis saltem. Frequentiam autem istarum in  
 adultis etiam ceu infantibus & quidem internarum aphtharum evin-  
 cimustàm *Ratione* quàm *Experientia*. Subjectum Internarum nos  
 hic potissimum intendimus Gulam, Præcordia, Ventricolum & In-  
 testina (licet alias internas partes non excludamus.) Hæ autem  
 partes quæ membranas, tam tenues, quàm carnibus propinquas, glan-  
 dulas harumque ductus advehentes & evehentes, vasa, mucum, lym-  
 pham oblinentem irrigantem, aliasque ex quibus constant, partes  
 multum cum istis conveniunt partibus, quas visui obviæ obsident  
 aphthæ; Apta sunt gula, præcordia, ventriculus & intestina ad  
 subsistentiam sanguinis & seri acrioris, ad istas leves superficiarias in-  
 flammationes, pustulas, excoriationes, denudationes. Fibrillæ  
 membranaceæ, ad carnes accedentes, in se teneræ, molles facile  
 causis cedunt, de quibus mox, obviis, modò internis vel in parte  
 genitis, vel è tota M.S. huc depositis, vel ab extra advenientibus, quæ  
 facile sanguinem & serum impetuosius irruens remorantur, glan-  
 dulæ in istis partibus copiosæ facile à rebus vel non-naturalibus vel  
 p. n.ibus læsæ, quæ temperiem, texturam, conformationem, uni-  
 tatem depravatæ, ob figurarum vitia in fasciculis capillarum vaso-  
 rum angustissimorum, aut si mavis, quod *Quidam* non sine ratione  
 urgent, ob fermenti nativi degenerationem non debite generant, se-  
 cernunt, excernunt, lympham, laticem, mucum, cui à Natura de-  
 stinatae sunt. Quid ergò vetat, quò minus hæ partes à tali malo  
 affici dispositæ sint, causa si accedat, ac istæ in ore, vicinisque parti-  
 bus. Causa, inquam, si accedat. Hæc est, mitis suavis, demul-  
 centis lymphæ, laticis, succi, mucii naturaliter istas partes obli-  
 nentis, & membranaceas fibrillas à variis defendentis ac præservan-  
 tis, modò defectus, modò & frequentius degeneratio, à miti, su-  
 vi dulcedine, sive insipiditate, blanda amica textura, deviatio ab  
 alienis, heterogeneis, sylvestribus, acribus, leviter rodentibus par-  
 ticulis sive domesticis libero juri liberæ actioni restitutis, à com-  
 pedibus liberatis, è vagina e ductis, sive peregrinis aliunde advenien-  
 tibus infectio, unde citatior motus & hinc calor, unde membranæ  
 istæ denudantur, roduntur, corrugantur, inflammantur, crassio-

res fiunt, tales enim fibrillas membranaceas distendunt, scindunt, rodunt, vellicant, pungunt, divellunt & perforant, unde volucres partes fugam quasi incunt, secumque abripiunt particulas terrestres levissimas, hæ verò ab ipsis separatae in superficie istas crustulas, sive cuticulas, ulcuscula formant. Quis autem talem causam in gulam, ventriculum & intestina non agere posse, circa has partes non dari, non generari, non reperiri diceret: Occurrunt ibi non solum interna, saliva descendens, succus nativus gulæ, mucus ventriculi, liquor gastricus, intestinalis, pancreaticus, biliosus, nè de variis p. n. dicam, sed & alimenta, potulenta, esculenta, aër varius, quæ singula variè & facilè inimicam induere indolem & efficere possunt, ut lymphæ mucosa oblinens deficiat, perversâ tincturâ imbuatur, & sanguis & serum acrius detineatur, membranæ denudentur, atterantur, lacerentur, variè lædantur, & hinc excoriationses, corrugationes, denudationes, inflammationes, pustulæ, licet leves saltem ut hîc, aliquando tamen etiam graviores, ceu aliàs in cute & ore contingit, exoriantur. Causæ aliàs procatarticae sive occasionales tam facilè internas partes afficiunt quàm externas. Ista autem acrimonia rodens indolem habet variam, potissimùm quoad hunc affectum, lixiviosam, alcalicam, sulphuream, salinam, aliquando cum acido, sed non prædominante, aliquando verò dominium exercente acido præalcalico, sulphureo, salino. Novimus *Quosdam Celcbres Medicos* in aphthis infantum imò in omnibus ulceribus solum admittere pro causa Acidum. At modò concedant quòd acidum volatile ipsorum particulis alcalicis subtilibus turgeat, adeoque oleosum sit, ut concedunt, nobis non contradicunt, abusu tamen vocabuli aciditirones non leviter confundentes. Non solas vel acidas, vel lixiviosas, salinas, alcalicas, oleosas, sulphureas particulas in causarum hîc referimus censum, sed variè mixtas invicem modò his, modò aliis eminentibus. Tales autem in statu p. n. quis dictis nostris partibus penitus dènegabit? Hinc &, quod multum hîc facit, Quidam ægri non rarò, præsertim e. gr. scorbutici, hypochondriaci, cum aphthas alunt os obsidentes, eundem dolorem, eandem molestiam per gulam, in ventriculo, aliquando in intestinis se sentire continuationem & extensionem unius ejusdemque

demque doloris esse conqueruntur. *Quoties* querelæ erga Medicum de singulari cardialgia, es seye/ als wann von oben bis zu dem Magen und weiter alles Wund und Sâhr wäre? Quin & videmus experimento vulgari mechanico quàm facile corium, membrana, pellis succo tincta hoc vel illo, & imbuta ad vicinas ad inferiores partes illum transmittat. Communis harum partium cum oris partibus tunica quàm facile transmittere poterit, quàm facilis peregrini sylvestris adversi succi vel laticis per membranam istam diffusio, expansio, subsistentia, imò quàm facilis glandularum in istis partibus sitarum vitii similitudo sive identitas. Hinc & in phthi- sicis, cùm denuò catarrhus s. coryza ingruit, narium glandulæ se- rum copiosum fundunt, mox & idem malum asperæ arteriæ & pul- monibus per tunicas, per eandem glandularum texturam, per alias causas communicatur, s. potiùs illuc sese extendit: Ita & in variis aliis interioribus partibus aut simul cum ore aut separatim exulcerationes leviores, inflammationes, pustulæ, escharæ cur non orientur, cur non se extendant, cur non communicentur? Non ibimus ad speciales casus, e. gr. In Venerea Lue, frequentissimo ho- die morbo, quot & quantæ sæpè deprehenduntur aphthæ interio- res? Profundiora autem ibi ulcera sub aphthis comprehensa nolu- mus. Confirmat hætenus dicta magisque roborat *Praxis*. Plures n. ægri Exc. Dn. Præs. in diffusissima Praxi occurrebant, qui de diutur- na, feroci, pertinaci cardialgia, de aspredine, de dolore urente, pruriente, ulceroso, à faucibus ad ventriculum ad intestina usque de torminibus aliquando conquerebantur, atrophia tantum non enecti. Qui à purgantibus, ab Emeticis præsertim antimonialibus à *Variis Medicis*, quos in consilium ducebant exhibitis pejus semper habuerunt, à lixiviosis, sive magis, sive minus volatilibus à *Aliis Medicis* propinatis nullum levamen, imò aliquando mali incrementum experti, à præscriptis autem ab Ipso (rejectis omni- bus purgantibus) merè demulcentibus, mitigantibus, balsamicis, travmaticis, à prohibitis omnibus acidis & fermentatis melius se habuerunt, imò plures ab illa maxima molestia liberati fuerunt. Eo- dem eventu, quo per dicta medicamenta non mediocris conditionis Personam, cui loco Süßwasser/ Mixtura ex Aq. plantag. Lap. Me- dicament, Croll. & Ol. Tart. Flechtenwasser/ à Domicella porrige- batur,



batur, subsecuta ustione faucium, gulæ & cardialgia intensissima, ab hac molestia & ulteriori periculo liberavit. Qui eventus & in Ægro, cui in Erysipelatis principio ferocibus & mortem minantibus symptomatibus stipato *Medicus Quidam* ultra ʒj. spir. Corn. Cerv. infudit, inde infernalem, ut vocabat, ustionem perpeffo cum ipsius maximo solatio subsecutus est.

III.

## HYPOCHONDRIACORUM CURA

*non semper primario contra Acidum Fixum  
dirigenda.*

**A**ffectus, *Hypochondriaci* nomine ubivis notus, vix tanta symptomatum varietate, frequentiore recurſu, pertinaci diuturnitate fatigat ægros, quàm Medicos circa ſcrutationem ſubjecti & indagacionem cauſæ turbat. Non hîc diverſas iſtas *Variorum Authorum* ſententias recenſebimus: ſolum intendimus monere, unam eandemdemque methodum curationi omnium ab hoc affectu vexatorum non ſufficere. *Plerique* hodie Acidum fixum, ceu *Paracelfus* ſuo tempore cum ſuis poſt Aſſectis Tartarum coagulatum, tanquam unicam cauſam accuſant, & hinc arma Medica contra hoc ſolum dirigunt. *Verùm*, ceu hoc ſæpè malum dictum gignere non negamus, ita diverſum ab hoc, particulas nimirum ſubtiliores, tenuiores, ſalinas, ſulphureas, oleoſas, reſinoſas, fluxiliores etiam acidas volatiles plerumque ebullientes, efferveſcentes malum hypochondrium cudere, in ejus productione præ aliis dominari, *Rationibus & Experiencia* inducti credimus. Affectus hypochondriacus non rarò habet cauſas prægreſſas, craſin, ut vocant, biliolaſam, animi motuum celeritatem, propenſionem ad iram, agilitatem, activitatem, vini potum leges debitas & quantitate & qualitate violantes, cibos aromatibus nimium conditos, vitæ genus ſedentarium, ad frequentiores exacerbationes quotidianas ſubminiſtrans occaſiones, excernendorum tenuiorum retentiones, &c. Symptomata juncta, præter communia, (hypochondriorum inflationes, ventriculi diſtentiones, anxietates, dyſpnœam &c.) ardorem ac ſiccitatem gulæ & faucium, ſi-

B tim,

tim, anorexiam, s. potius nauseam, os amarum, ructus amaro-  
 ros nidorosos, vomitus amarus, cephalalgiam, exæstuationes  
 frequentes, præcordiorum magis æstus, ustiones, quam com-  
 pressionem, dolores extremorum vagos, absque tumoribus, pul-  
 sum celerem, citatum, frequentem, urinam multum tinctam,  
 sæpè cum sedimento cinabario, lateritio, vultus modò lividam  
 flavedinem, modò subitam ac vagam phlogosin ac rubedinem, hæ-  
 morrhagiam frequentem sanguinis rubicundioris, corporis maciem.  
*Istacausa* quàm facile liquorem gastricum inficiant, dejiciant, in of-  
 ficio turbent, ab ipso subigi se non patientur, simul & intestinalem  
 deviare faciant, ut chylus transmittatur caractere perverso tinctus  
 in Massa Sanguinea remanente, nec domabili, nec delebili, patet:  
 Nec minus, ut succus bilarius quantitate, resinositate, acrimoniâ,  
 ebullitione excedat, exæstuet, pancreaticus justo acrior fiat, sanguis  
 ac lymphæ accusatis moleculis perfundatur ac conspurcetur, ut  
 viscera ac glandulæ inficiantur ac inficiant, efficiunt. Hinc ab istis  
 salinis biliosis succis non tam irrigatio faucium, quàm exiccatio,  
 unde ardor, sitis: Ventriculi & sui potissimi instrumenti dyscrasia,  
 ab objectis perversio, unde anorexia, nausea: Particularum biliosarum  
 aut effusio aliunde, aut talium sive harum indolem exprimen-  
 tium generatio, unde ista nidorosa amarities: Agunt istæ suis spi-  
 culis disproportionatè in fibrillas capitis, unde cephalalgia: Hic ibi  
 propter tales sanguis vel cum alio obvio liquore, vel cum assumptis  
 vel ab ipsis in M. S. contentis diversis particulis ebullit, agitatur, ef-  
 fervescit, unde variæ exæstuationes, phlogoses, rubedo vultus, do-  
 lores extremorum vagi, celer, citatus pulsus: Dum agitant & colo-  
 rem sanguinis intendunt, effluit sanguis rubicundior: Roscidus  
 succus nutritioni destinatus quia deficit & dyscratos, ad nutritionem  
 ineptus est, macies jungitur. A tali causa flatus commune hypo-  
 chondriaci affectus symptoma non rarò exurgere posse & solere,  
 Vid. Physograph. Excell. Dn. Pres. & Excell. Dn. Rudolphi Ja-  
 cobi Camerarii, Phys. Prof. Ordin. Patron. & Præceptor. mei  
 colendissimi, dissert. de Tens. Cord. Sub talium præsentia causa-  
 rum & symptomatum in Hypochondriacis, quis varias illas crispa-  
 tiones, tensiones, contractiones, aliasve nervosarum partium læsio-  
 nes à spiritibus potissimum animalibus extra ordinem agentibus, va-  
 riè turbatis, impetuosè motis oriundas, huic affectui proprias non po-  
 tius

tius adscriberet tenuiorib<sup>9</sup>, salino-sulphureis, subtilioribus particulis,  
 prædominantibus, quàm acidis fixis; quæ utiq; hîc non rarò spiritus  
 etiam in *â* *ξ* *α* agunt, partes nervosas lædunt, sed sub alio schemate,  
 cum aliis symptomatibus. Hinc in ista, quam modò delineavimus,  
 morbi specie, iisdem non est agendum medicamentis, quibus in alte  
 ra, hinc magis temperata ac temperantia, mitigantia, refrænantia, di  
 luentia, imò & refrigerantia, aliquando acida, anodyna in usum du  
 cenda, quam spirituosâ, volatilia, attenuantia, aromatica, præsertim  
 à compedibus liberata & exaltata. In Ægro hypochondriaco à  
 syncopes cardiacæ paroxysmo subito obruto Mixtur. ex Aq. bor  
 rag. bugloss. cinamom. modic. & paucis guttul. sp. sal. armoniac. cum  
 syr. borrag. cochleatim saltem exhibitam anxietates, exæstuationes,  
 ad desperationem ferè suscitasse observavit Exc. Dn. *Præses*, coërcitas  
 ab Emuls. è sem. frigid. cum Aq. lactuc. acetos. paratas & pulv. ab  
 sorbent. Ægra ab hoc malo diu distorta ex consilio Cujusdam per  
 bimestre tincturas, essentias ac spiritus, guttur ut dicebat exeden  
 tes, exurentes assumens febrem lentam tabificam inde contraxit,  
 observante Eodem, qui plura talia. *Varias* contra calidorum in hoc  
 morbo usum cumulare possemus *Authoritates*, sed sufficiant pauca  
 sq. *Diocles Medicus antiquissimus*, inter symptomata hujus morbi  
 recensuit æstum in hypochondriis, quem ventriculi calori p. n., nec  
 tamen inflammationi adscribit, aliquando vomitum phlegmatum  
 subamarorum. *Montanus* consil. 230. scribit: *Consulo ut Medicos*  
*fugiat & Medicinas, quia communis consuetudo aliquorum Medicorum*  
*est exhibere calida, &, ut ipsi inquirunt, carminativa ventositatum.*  
*Dum autem illi symptomati attendunt, non advertunt, quòd egro noceant*  
*& interitum accelerent, augendo causam atque originem ipsius agritu*  
*dinis.* Hinc consil. 229. *Vinapotentia infesta* dicit, *res frixas in sar*  
*ragine & aromata nocere ait, diatrion pipereon sine saccharo rosato non*  
*admittit.* *Fernelius* Consil. 43. & 44. *Cibus jubet vesci frigidis, hu*  
*midis, & elixis, commendat brodia alterata herbis frigidis, cremorem*  
*hordei: A vino aliquando abstinere suadet, ac in potu aqua decocta uti,*  
*cùm nihil magis ad curationem conducat.* *Et gloriatur hoc uno reme*  
*dio plures convaluisse.* *Mindererus* potu aquæ morbos hypochon  
 driacos curandos esse voluit. *Platerus* vinum generosum, cibum  
 calidiorem copiosorem corruptum, pravi succi, siccum, dulcem,  
 pinguem, acrem, copiam Carminativorum inter nocumenta in hoc

ponit. *Sylvius* inter tres affectionis hypochondriacæ species alteram ponit nidorofam, ab humore biliofo cum amarore olidum & ingratum odorem f. nidorem spirante cum ructibus nidorofis ortam, Cui inter alia opponit acida. *Grembs* peregrinum quoddam fal volatile in pancreate ob vitalitatem denegatam Archeo moleftum incallescere & hinc illas phlogofes hypochondriacis familiares oriri fcribit. *Ipsi* aliàs folius *Acidi Patroni* aliquando ferum lixiviofum & oleofum ficcitatis oris in Hypochondriacis caufam dicunt, ruborem vultus & cutis particulis fanguinis sulphureis adfcribunt, in cura etiam non rarò ad fpirituum fopitionem, ad opiata confugiunt. Undecimum agitur luftrum, quod *Excellentiffimus Dominus D. Mögling*, *Professor Medicina in hac Academia meritiffimus, Patronus & Præceptor meus maxime Colendus*, (cui felix porro fenum precamur) in *Disputat. de Melanch. hypochondriacâ* hæc pofuit: *Qualitatem materiae inaequalem dici poffe fentimus: Poffi: Hac materia, five humores corrupti, biliofi, pituitofi, &c. Tandem: Suscitans caufa iftorum flammæ est calor p. n. lis, extraneus, fervidus, adurens.* Quæ autem hætenus de ifta fingulari hypochondriaci mali fpecie diximus, etiam applicari velimus iftis *Paroxysmis*, qui non rarò in hoc Affectu acidi fixi fobole enormontici, orgaftici, impetuofi à caufis five internis, five externis exoriri folent.

*Claudimus his rivos, ex intimo concinentes pectore:*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

**E**Xhaustu noxas, Aphthas, Hypochondria dura  
Doctè Curato: Faustus eris Medicus.

Prosperrima quævis  
apprecans fcript.

PRÆSES.

